

De Sacramentarii Gelasiani substantiali authenticitate.

Disquisitio Liturgica, auctore † R. P. Domno Beda Plaine, O. S. B.

(Conclusio. Vide fasc. I. 1901, pg. 331—147.)

§ 7. De Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae Sacramentis in Codice Vaticano Gelasiani Sacra- mentarii.

Ritus tum praepparatorii Baptismi et Confirmationis, tum connexi administrationi istorum duorum Sacramentorum, quales nobis exhibentur in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani antiquissimis sunt, et iidem erant in Oriente et Occidente, currente seculo quinto, ut asserit s. Coelestinus Papa.¹⁾

Res insuper patet ex collatione Codicis Gelasiani sive cum catechesibus XIX et XX s. Cyrilli Hierosolymitani²⁾ sive cum opusculo s. Augustini: De fide et operibus,³⁾ et aliis tractatibus analogis Patrum Graecorum et Latinorum, quos longum esset hic anumerare. Tenor vero formularum, quibus utebantur ministri Ecclesiae, deest in scriptis istius generis, et non est forsitan asseruatus nisi in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani. Unde pluris refert scire qualis sit aetas hujus codicis, utrum Gregorio sit anterior necne. Pro parte negativa stat D. Duchesne.⁴⁾ Ego vero partem affirmativam profiteor, innixus praesertim super quemdam textum orationis: „Hanc igitur oblationem“, qui quatuor vicibus repetitur pro scrutiniis electorum⁵⁾ nec offert additionem Gregorianam. Vis hujus argumenti in dubium revocari non potest, nam additio, de qua agitur, obligatoria facta est a diebus S. Gregorii, et aliunde nam nobis exhibent alii codices Gelasiani.

Sacramentarii, excepto unico Vaticano.⁶⁾ Hinc in isto casu solus amanuensis San. Dionysianus fideliter et scrupulose exscripsit codicem Gelasianum, rejecta quolibet interpolatione.

Notandum est in secundo loco, quod in traditione et redditura symboli ex parte Catechumenorum tenor symboli Niceni caret voce Filioque juxta hanc formam „Credo ... in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem.“⁷⁾ Porro saeculo sexto mediante, haec forma mutata fuit in sequentem, quae usque ad nos perseveravit: „Credo ...

1) Epistola XXI, 13. — Patrol. Lat. t. L, p. 536.

2) Patrologia Graeca, t. XXXIII, p. 1065—1086.

3) Patrologia Latina t. XL, p. 197—229.

4) Origines du culte chretiae, p. 284 et alibi.

5) Gelasian Sacramentary p. 34, 35, 38 et 42.

6) Ibidem p. 39, nota 14, item Ordo Romanus a Martenio editus. — De antiquis Ecclesiae Ritibus lib. I, 1, 12.

7) Gelasian Sacramentary, Editio citata p. 54 et 55.

in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui e Patre Filioque procedit,“ testa Cassiodoro juxta quam: „Ecclesia vero sancta est et immaculata, quae divina gratia largiente, sola verificat . . . Patrem docent ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum de Patre et Filio procedentem.“¹⁾ Item alibi dicit: „Proprium est Spiritui Sancto quod e Patre et Filio procedit.“²⁾

Ipse Gregorius aperte profitetur, quod talis erat fides Ecclesiae in suis diebus. Nam dicit super haec verba Salvatoris: „Cum venerit Paraclitus, quam ego mittam vobis a Patre“ (Joan. XV, 26): „Missio Spiritus sancti processio ejus est, qua de Patre et Filio procedit.“³⁾ Alia analogia profert idem in variis circumstantiis.

Qua de causa tomus fidei, qui lectus est Toleti in anno 589, quando rex Reccaredus cum episcopis et populo Hispaniae solemniter abjuravit Arianam pravitatem, ita recensitus erat: „Spiritus Sanctus aequae a nobis confitendus et praedicandus est a Patre et Filio procedere“⁴⁾ . . . Et alibi „Credimus . . . et in Spiritum Sanctum, Dominum, vivificantem, ex Patre et Filio procedentem.“⁵⁾ Et ideo s. Isidorus, qui erat coevus, asserit expresse, quod in regula fidei seu symbolo „profiteamur . . . Spiritum Sanctum . . . de Patre et Filio procedentem.“⁶⁾ Unde luce clarius est quod si Amanuensis San. Dionysianus non scrupulose et fideliter exscripsisset ipsius Gelasii legitimum codicem. textus symboli, de quo hic agitur, esset prorsus conformis ei, qui legitur in antiquo Ordine Romano Baptismi⁷⁾ et hodie cantetur in Missa.

Notandum est in tertio et ultimo loco simpliciore esse in Codice Gelasiano quam in Ordine Romano Baptismi seu in aliis ordinibus Benedictionem aquae Baptismalis, licet remaneat eadem in substantia quoad litteram.⁸⁾ Sic ista benedictio non adhuc tenet formam praefationis, ut hodie nec cereus Paschalis in fontem immittitur, nec aqua et sanctum Chrisma cum oleo unctionis commiscentur.⁹⁾ qui triplex ritus explicite praecipitur tum in Ordine Romano tum in aliis ordinibus Gallicanis Gothicis¹⁰⁾ etc. Haec sufficienter de Baptismo. Relata ad sacramentum Confirmationis

1) Prologus in Psalmos 17. Patrologia latina t. LXX, p. 23.

2) Idem in Psalmum L, 13, p. 367.

3) Homilia XXVI in Evangelia, 2, t. LXXXVI, p. 1554.

4) El Concilio tercero de Toledo. Editio polyglotta. Matriti 1890, p. 4.

5) Ibidem p. 9.

6) De Ecclesiasticis officiis, 11, 24. Patrologia latina, t. LXXXIII, p. 817.

7) Hittorpius: Auctores antiqui Liturgistae, p. 43.

8) Ibidem p. 81.

9) Gelasian Sacramentary, editio citata, p. 85 et 86.

10) Hittorpius loco citato, p. 82. Missale Gallicanum vetus XXIV. — Patrologia Latina t. LXXII, p. 368 et 369, et alibi, item Patrologia latina t. LXXXVIII, p. 999.

duo verba tantum dicam. Primo in Codice Vaticano istud Sacramentum vocatur consignatio juxta morem antiquum, de quo s. Innocentius, quando loquitur de consignandis infantibus.¹⁾ Num in eo legitur: „Deinde (post baptismum) consignatur ab episcopo in his verbis²⁾ seu „Deinde ab episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis.³⁾ Porro haec vox consignatio jam non erat in usu vivente Gregorio, qui dicit rotunda: „quoties de baptismo aliquorum vel confirmatione ... dubitatio habetur ... nec ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati sint ... baptizentur tales ac confirmentur.⁴⁾ Similiter antiquus Ordo Romanus Baptismi eodem utitur verbo: confirmare, loco vocis consignare.⁵⁾

Porro istae duae diversae nuncupationes consignatio, vel confirmatio facile intelliguntur et procedunt ex ipso textu formae sacramentalis, siquidem post orationem: Deus omnipotens, quae communis erat et dicebatur ut hodie, Pontifex juxta codicem Gelasianum „signat infantes in fronte dicens: Signum Christi in vitam aeternam,⁶⁾ dum secundum Ordinem Romanum „idem Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte, dicendo: Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.⁷⁾ Hodie vero duae formae uniuntur isto modo: „Signo te signo crucis et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.⁸⁾ Sed negari non potest formam: Signo te antiquiorem esse formam: Confirmo te, quae in usu erat vivente Gregorio, sicut textus symboli et varii ritus Baptismi, quales exhibentur in Codice Vaticano 316 sapiunt aetatem Gelasii non Gregorii. Unde ejus amanuensis, tanquam fidelis et scrupulosus haberi debet et non merus interpolator.

Pauca dicam de Eucharistia, seu Communione. Multum distat in ea Codex Vaticanus ab omnibus aliis codicibus et antiquior apparet. Etenim iste codex nihil dicit de oratione Agnus Dei, et transit sine intervallo de ambolismo Orationis Dominicae ad communionem juxta hanc formam „Post Pax Domini communenda est plebs pro jejuniis ... scrutiniis etc. Post haec communicat sacerdos cum ordinibus sacris et omni populo.⁹⁾

1) Epistola XXV, 6. — Patrologia latina t. XX, p. 554.

2) Gelasian Sacramentary p. 117.

3) Ibidem p. 82.

4) Regestum XIX, 17, t. LXXVII, p. 1395.

5) Hittorp. loco citato p. 83.

6) Gelasian Sacramentary p. 87 et 117.

7) Hittorpius loco citato p. 83.

8) Pontificale Romanum 1, 14.

9) Gelasian Sacramentary, p. 236.

Alibi legitur pro communione recenter baptizatorum „dabis ei sacramenta Corporis et Sanguinis Christi, dicens: Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi in vitam aeternam Amen.“¹⁾ Porro scitur Agnus Dei additum fuisse a Sergio Papa in ultimis annis octavi seculi.²⁾ Ritus vero dandae communionis jam diversus erat a Gelasiano in diebus Gregorii, teste ejus biographo, juxta quam dicebat Sanctus, Mysteria traditurus: „Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam.“³⁾ Haec sufficiant meo proposito de Communione. Nunc inquiram quid sentiendum sit de duplici ritu Poenitentiae publicae et Consecrationis sanctorum aliorum relate ad authenticitatem codicis Gelasiani.

§ 8. De Poenitentia publica et Consecratione Sanctorum oleorum.

Codex Gelasianus tractat tribus variis vicibus de Sacramento Poenitentiae, seu exactius de ritibus poenitentiae publicae, scilicet.

1^o Feria quarta in Capite Jejunii, ubi exponitur ritus admittendi peccatores ad agendam istam poenitentiam.⁴⁾

2^o Feria quinta in Coena Domini, pro reconciliatione eorundem poenitentium.⁵⁾

3^o Extra tempus regulare, ubi describitur quidam ritus simplicior agenda istius poenitentiae pro circumstantiarum opportunitate.⁶⁾ Porro in his tribus circumstantiis diversus est codex Gelasianus ab omnibus Ordinibus Romanis analogis, non excepto antiquissimo, qui editus est ab Hittorpio⁷⁾ et fere idem est ac hodiernus. Sed si uterque conferetur, antiquior demonstrabitur Codex Gelasianus. Nam juxta Gelasium, poenitens suscipitur et cooperitur cilicio. Oratur pro eo cum quinque collectis, et includitur usque in Coenam Domini⁸⁾ dum in Ordine Hittorpiano poenitens facit primo Confessionem publicam, licet generalem, omnium peccatorum suorum, deinde recitantur super eum septem Psalmi Poenitentiales, et quatuordecim collectae. Finaliter ejicitur de

¹⁾ Ibidem p. 117.

²⁾ Liber pontificalis, edition Duchesne, t. 1, p. 381, nota 42.

³⁾ Joannes Diaconus: Vita S. Gregorii, 11, 41.

⁴⁾ Gelasian Sacramentary p. 15.

⁵⁾ Ibidem p. 63—67.

⁶⁾ Ibidem p. 314 et 315.

⁷⁾ Hittorpius, opere citato, p. 27 et seq.

⁸⁾ Gelasian Sacramentary p. 14 et 15. Iste in clausio seu reclusio potest conciliari cum dimissione, de quo loquitur Sozomenus, juxta quem ineunte seculo quinto Poenitentes Romae post preces admissionis, dimittebantur. (Historia Ecclesiastica VII, 16.) Nam haec dimissio erat secessio a fidelibus ob audienda sacra mysteria et officia divina, non licentia libere vagandi per urbem et ejus compita.

ecclesia et de societate fidelium, qui assistunt Missae et officiis divinis.¹⁾

Item pro reconciliatione in Coena Domini, juxta, Gelasium „egreditur poenitens de loco, ubi poenitentiam gessit et in gremio praesentatur ecclesiae, prostrato omni corpore in terra et postulat pro eo misericordiam diaconus dicens: Adest o Venerabilis Pontifex, . . . et episcopus restituit eum gremio Ecclesiae cum septem collectis,²⁾ dum in ordine Hittorpiano archidiaconus³⁾ episcopum eodem modo interpellat sed deinde cantantur dramatice Antiphona: Venite filii cum Psalmo XXXIII; Cor mundum cum Psalmo L, item varii versus cum sexdecim collectis et uno absolute finali.⁴⁾

Insuper in Codice Gelasiano celebretur Missa specialis feria quinta in Coena Domini pro reconciliatione poenitentium cum Oratione: Hanc igitur oblationem, diversa ab ea, quae hodie est in usu.⁵⁾ Nam in eodem codice adsunt tres missae in feria quinta in Coena Domini, scilicet:

1^o Missa poenitentium, in qua isti communicabant.⁶⁾

2^o Missa chrisimalis pro consecratione Chrismatis, et olei tum catechumenorum, tum infirmorum.⁷⁾

3^o Missa vespertina seu consueta.⁸⁾ Sed iste usus trium Missarum, de quo aliunde nihil scitur,⁹⁾ et forsitan in desuetudinem jam venerat ante dies S. Gregorii siquidem juxta eum solum Natale Domini tribus Missis decorabatur.¹⁰⁾ Item Amalarius, loquens de varietatibus, quae occurrebant in triduo Passionis Christi, nihil prorsus dicit de tribus Missis Coenae Dominicae.¹¹⁾ Verum tamen s. Eligius seu Auctor Homiliarum, quae sub ejus nomine vulgantur, et quarum decem pro objecto habent Coenam Dominicam et ejus mysteria, scilicet reconciliationem poenitentium, natale Calicis seu institutionem Eucharistiae et Confectionem Chrismatis¹²⁾ loquitur aperte de duplici lectione evangelica ac consequenter de duplici saltem Missa.¹³⁾

1) Hittorpius, loco citato p. 27—31.

2) Gelasian Sacramentary p. 63—66.

3) Vocabatur simpliciter diaconus in codice Gelasiano, ille, qui eodem munere fungebatur serius et vocabatur archidiaconus.

4) Hittorpius, loco citato p. 56—60.

5) Gelasian Sacramentary p. 67.

6) Ibid. p. 67.

7) Ibid. p. 69.

8) Ibid. p. 72.

9) S. Augustinus (Epistola LIV Januario 4 et 9) loquitur de duplici missa in hac die celebranda, una pro jejuniis, alia pro aliis.

10) Homilia VIII in Evangelia 1.

11) De Ecclesiasticis officiis I, 12, t. CV, p. 1011—1029.

12) Patrologia latina t. LXXXVII, p. 607—650.

13) Ibidem p. 607—609, 639 et 640.

Tandem ipse ritus benedictionis istius et formulae, quibus hac de causa utuntur episcopi, simpliciores sunt ac consequenter antiquiores in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani quam in quolibet alio. Hodie, verbi gratia, distinguitur explicitè triplex oleum, scilicet oleum infirmorum, oleum Catechumenorum et Sanctum Chrisma, fitque triplex benedictio distincta cum Processione solemnè, et hymno: O Redemptor, sume carmen,¹⁾ dum in Codice Vaticano, licet sit triplex benedictio, fit tamen sine Processione et hymno. Sanctum vero Chrisma conficitur ex balsamo mixto cum oleo:²⁾ quo textu convincuntur errore diversi auctores, juxta quos haec mixtio non fiebat in occidente ante sextum seculum,³⁾ sed exorcismus, quo utitur pro hac re episcopus, unicus est, et inservit hodie pro alio catechumenorum, alio redacto pro Chrismatis exorcizatione.

Hac re sic elucidata, aliquid nunc dicem de Sacramento Ordinis.

§ 9. De Sacramento Ordinis in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani.

Ordinationes Romanae episcoporum, presbyterorum et diaconorum magna semper celebritate gavisae sunt, utpote procedentes primitus ab ipso s. Petro, easque constanter recenset singillatim Auctor Libri Pontificalis usque ad nonum seculum. Hinc Ecclesia Romana debuit, prima omnium, rectum disponere ordinem rituum et formularum, quibus utebatur Pontifex in dictis ordinibus conferendis. Porro tenor istorum rituum et istarum formularum nobis asservatus est in Sacramentario Gelasiano, si authenticum ut puto, haberi debet. Sed ei denegat hunc authenticitatis characterem D. Duchesne.⁴⁾ Quocirca res sedulo excutiens, textum dicti Sacramentarii, qualis existit in unico Codice Vaticano, sedulo conferam cum textu aliorum Codicum ejusdem Sacramentarii, item cum textu Gregoriani Sacramentarii et Ordinum Romanorum ut clare pateat nihil ibi sapere ritum Gallicanum, sed potius pluro sapere ipsum Gelasium, id est epocham Gregorio anteriorem. Ad demonstrationem accedo.

Animadvertem in primo loco quod in solo Codice Vaticano exstat separatim ab aliis duplex ordinatio presbyterorum et diaconorum⁵⁾ dum in aliis codicibus dicta duplex ordinatio, unum

¹⁾ Fortunatus, episcopus Pictaviensis auctor est istius hymni, qui non debuit recipi Romae nisi in nono seculo, Carolo Magno vel ejus filiis intervenientibus.

²⁾ Gelasian Sacramentary p. 72.

³⁾ Catalonus: Commentaria in Pontificale Romanum, Pars tertia, IV, 13.

⁴⁾ Origines du culte chrétien (1889) p. 338 et 339.

⁵⁾ Gelasian Sacramentary p. 22—29. Aliae ordinationes junctim inveniuntur p. 144—149.

corpus facit cum aliis ut fit etiam hodie, omnibus ordinibus successive in eodem actu collatis.¹⁾ Quae separatio ut melius intelligatur sciendum est quod primitus non existebant nisi tres ordines ministrorum Ecclesiae, scilicet episcopi, presbyteri et diaconi²⁾ et Ordinatio presbyterorum et diaconorum habebat locum regulariter mediante seculo quinto in nocte Resurrectionis Dominicae, teste s. Leone, qui dicit explicitè: „Non passim diebus omnibus Levitica vel Sacerdotalis Ordinatio celebratur, sed post diem Sabbati ejus noctis quae lucescit in prima Sabbati.“³⁾ Gelasius vero paucis annis postea, derogans huic antiquae consuetudini, haec statuit: „Ordinationes presbyterorum vel diaconorum nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed et etiam Quadragesimae initio, ac medianae Quadragesimae die sabbati⁴⁾ jejunio circa vesperam.“⁵⁾ Haec epistola decretalis, quae ex eo die viguit tanquam lex Ecclesiae,⁶⁾ tacet de episcopatu et ordinibus inferioribus, quia aliis diebus poterant conferri arbitrio episcopi, sed quis non videat Gelasium hac separatione sapienter providisse executioni decreti, cujus erat ipse auctor? Unde haec distinctio inter locum ordinationum majorum et minorum Ecclesiae ministrorum sapit revera Gelasium et allegari debet in favorem, authenticitatis Codicis Vaticani Sacramentarii Gelasiani.

In secundo loco Missa pro ordinatione presbyterorum et diaconorum decoratur una Oratione: Hanc oblationem diversa a quotidiana,⁷⁾ ac consequenter antiquiori diebus s. Gregorii. Imo eadem diversitas rursus exhibetur in Missa pro anniversario consecrationis diaconi vel presbyteri:⁸⁾ quod vim dat novam meae argumentationi.

In tertio loco nihil prorsus dicitur in Codice Vaticano sive de porrectione instrumentorum relate ad presbyteros et diaconos, sive de vestibus sacris in hac circumstantia induendis,⁹⁾ quamvis

¹⁾ In Sacramentariis Leoniano et Gregoriano (Hadriani Papae) junctim tractatur de episcopis, presbyteris et diaconibus et non separatim ut in Gelasiano.

²⁾ S. Ignatius in suis epistolis et S. Polycarpus in Epistola sua ad Philippenses nihil loquuntur nisi de his tribus gradibus ministrorum.

³⁾ Epistola IX ad Dioscorum Alexandrinum 1. — Patrologia Latina t. LIV. p. 625.

⁴⁾ Hic dies erat sabbatum ante Dominicam Laetare, sed ab Alexandro III. immutatus est in sabbato Sittientes.

⁵⁾ Gelasii Epistola ad Episcopos Lucaniae IX, 11. — Patrologia latina t. LIX, 52. — Thiel, Epistolae Romanorum Pontificum, t. I.

⁶⁾ Inserta est de verbo ad verbum in Libro diurno III, 9, 6. — Patrologia latina t. CV, p. 72, item in Decreto Gratiani, prima parte, distinctio LXXXI, praefatione.

⁷⁾ Gelasian Sacramentary p. 39. — Textus rubricae (p. 22) loquitur etiam de subdiaconis, sed revera earum ordinatio ponitur cum aliis gradibus inferioribus.

⁸⁾ Ibid. p. 149 et 150.

⁹⁾ Gelasian Sacramentary p. 22 et 144.

paucis annis post Gelasium diaconus indueratur stola in actu ordinationis, ut potest tum ex Vita S. Mauri, abbatis Glanno-foliensis,¹⁾ tum ex canone nono Concilii secundi Braccarensis habiti in a. 563.²⁾

In ultimo loco prorsus tacet Codex Vaticanus de tonsura et clerico faciendo, licet supponatur quod puer sit minori aetate, jam mancipatus aliquo ministerio ecclesiastico.³⁾ Quinimon additur explicite: „Si majori aetate accesserit ita tamen ut post baptismum statim se divinae militiae desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur.“⁴⁾ Unde sequitur quod tunc temporis aliquis fiebat lector seu exorcista quin acceperit tonsuram. Porro, quidquid sit de antiquitate tonsurae et de ejus primo usu,⁵⁾ certum mihi videtur eam saltem Romae antiquiorem esse diebus S. Gregorii, teste poeta Aratore, qui tonsus est circa annum 540, priusquam intraret in clerum,⁶⁾ imo teste ipso Gregorio, inter cujus decreta sequens habetur: „Si quis ex clericis laxaverit coronam, anathema sit.“⁷⁾ Idem ipse dicebat in epistola ad Childeburtum regem Francorum: „Pervenit ad nos quod obeuntibus episcopis quosdam ex laicis tonsurari atque ad episcopatum praecipiti saltu conscendere.“⁸⁾ Quibus verbis asserbat indirecte Pontifex tonsuram primum esse gradum clericatus in suis diebus. Quo rerum statu concludi potest Codicem Vaticanum Sacramentarii Gelasiani antiquiorem esse indubia Gregorio ac sapere aetatem ipsius Gelasii. Verumtamen mihi opponuntur aliqua antiqua Statuta Ecclesiae de ordinationibus tractantia tanquam in Gallis lata, et ritus consecrationis manuum presbyterorum quasi Galliarum proprius. Quae duae assertiones, si verae essent, Codex Vaticanus, de quo loquor, non esset pure Romanus, sed partim Gallicanus. Qua de causa sunt sedulo diluendae istae duae novae objectiones.

(Conclusio in fasc. seq.)

¹⁾ Acta Sanctorum t. I, Januarii p. 1041, 15.

²⁾ Concilia, editio Mansi Venetiis, 1729, t. VI. p. 521.

³⁾ Gelasian Sacramentary p. 144.

⁴⁾ Ibidem.

⁵⁾ Ex traditione romana tonsura fuit instituta a S. Petre et ista assertio aliqua probabilitate gaudet, modo concedatur tonsuram propriam et exclusive fuisse forsitan per quatuor vel quinque seculo insigne e episcoporum non vero aliorum.

⁶⁾ Epistola ejus ad Parthenium, versu 68. — Patrologia latina t. LXVIII p. 251.

⁷⁾ Decreta Gregorii in Concilio Romano late, VI, 16. — Patrologia latina t. LXXVII, p. 1340.

⁸⁾ Regest. V, 55. Ibidem p. 788.